

Q.K. 411, 42.

X 1877099

II i
366

AUGUSTI PFEIFFERI
DIATRIBE
DE
POESI EBRÆORUM
VETERUM
ET
RECENTIORUM
RECOGNITA,

Quæ quædam circa istam mate-
riam ᾠδοζα eruditis judicanda
exhibentur.



WITTEBERGÆ,

Impensis DANIELIS Schmaß / Acad. Typogr.
ANNO M. DC. LXXI.



Handwritten signature: Friedrich Füller

Handwritten mark: R



VIRIS
EXCELLENTISSIMIS ATQVE
CLARISSIMIS

DN. JOH. LEUSDENIO,

Phil. Doctori & Lingvæ Sanctæ in Acad.

Ultraject. Prof. P.

DN. SAM. BENED. CARPZO-

VIO, Poëtices in Acad. Wittebergensi P. P.

DN. M. MARTINO ZOBTIO,

Scholæ Wratisl. Rectori,

Domiris, Fautoribus, isti Collegæ, & amicis honoratissimis

S. & O.

Cum in bona causa tria verba sufficiant, non puto diu mihi meditan-
dum esse, quæ oratione in præsentem apud VOS utar. Nosti ipse, LEUS-
DENI celeberrime, quæ humanitate me in amicitiam Tuam, quam dudum
ipse desideravi nec inchoare tamen ausus sum, pellicere & quoniam aliàs
potuisti nostras esse aliquid putare nugas, etiam præsentem diatriben, ut
olim prodiit, commendare non dubitâris. Norunt porro omnes, quotquot
CARPZOVIVM, charissimum illud DEO Musisq; pectus, & me norunt,
quàm arctè coaluerint animi nostri, ut dubitem, num inter ullos unquam
tàm grata de candore & amore mutuo contentio fuerit. Prætereà, Vir Excel-
lentissime, optimè scio, Te de sacrâ Poësi non minùs dextrè judicare posse,
quàm de illâ, quem summa cum laude profiteris. Denique vel tandem,
quas Tibi dudum, Clarissime ZOBTI, debebam, hic publicè exsolvere
gratias volui, quod adeò multis & egregiis subsidiis rem meam librariam
tàm liberaliter sublevare hæcenus volueris. Accipite singuli hoc quicquid
est, certè ita comparatum, ut majus esse debuerit, minus autem esse non po-
tuerit, ceu animi grati & amici, non dignum, sed certum tamen monumen-
tum. DEUS VOS bono publico diutissimè servet & faxit ut VESTRO
favore semper gaudeam.

V. Exc. & Clariss. Nominis

Cultor perpetuus

AUGUSTUS Pfeiffer.



I. N. D. N. J. C.

CL. Guido Pancirollus posteritati reliquit duos
utilissimos rerum memorabilium libellos, quorum
priori deperditas, posteriori noviter inventas recenset.
Eum in praesenti imitari liceret, ubi Poësin Ebraeorum
veterem erudere, novam ad posteros transmittere jube-
mur, si ea fuisset Poëseos antiqua felicitas, vel ea esset nove
dignitas, quæ rerum à Pancirollo descriptarum. At verò
illa ita deleta est ex omnium mortalium memoriâ &
plu squàm Cimmeriis sepulta tenebris, ut alii quidem du-
bitarint, num ulla fuerit, alii audaciores paulò ejus ru-
dera investigaturi à januâ aberrarint, plerique de re uni-
versâ desperarint. Quin ipsi Judæi hic talpis cœciores &
tam muti ferè sunt, ut unanimi conspiratione totius
quæstionis decisionem in Eliæ adventum distulisse videan-
tur. Contra recentiori suæ Poësi, ex aliarum linguarum
κακοζηλία excogitatæ, quidam provectam ætatem quibus-
cunqve modis conciliare conantur, cum tamen recen-
tiores omninò redoleat natales. Nos tamen de utrâque
DEO auspice, verba facturi nec eâ nos efferimus, quod
ille dicebat, *ἰπποσύφια*, ut, cum omnes cœcutiant, nos
solos putemus lynceos, nec recentioribus verpulis ab-
blandiemur, verum ita nos geremus, ut, quæ post quas-
dam meditationes sese obtulerunt, citra *Φιλοκαλίαν*, à quâ
nos alienos profitemur, debitâ modestiâ eruditi orbis
arbitrio atqve censuræ exponamus & recensitis aliorum
latis sententiis, in liberâ Republ. nostrum quoque votum
& *Ἰπβάδιον μέγθ* adjiciamus. Quod dum molimur, di-
vinam *ἑὸς ἰσχυροῦ* toto pectore expetimus supplices.

TH. I.

Cum autem nobis semper probi visi sint Cretenses illi, quos *Plato* ait πολύνοιαν μάλλον, ἢ πολυλογία ἀσκῆσαι, nolumus lectorem anfractuosa præfatione morari, sed rem ipsam aggressuri, εἰσὶν συρρέξεως determinabimus. De duobus ergo solliciti erimus: Primò *An ulla fuerit veterum Ebraeorum Poësis & quæ ratio veterum carminum?* Deinde *Quam recens Judeorum ars versifactoria agnoscat originem?*

TH. II. Circa primum ante omnia de Illustri Viro *Josepho Scaligero* nonnihil dicendum est. Is quippe non modò Ebraeorum metricam ullam unquam fuisse, verum etiam esse potuisse negat. Verba ipsius in hanc sententiam in *Animadv. ad Chron. Eusebij p. 6. b.* ad illa Hieronymi: *Quid Psalterio canorius, &c.* hæc sunt: *De Psalterio magis miror, cum neq; in eo neq; in Threnis ullum canticum sit metricis legibus adstrictum, sed merè soluta oratio, caractere Poëtico animata. Quis Esaiæ & aliorum Prophetarum oratio instar Poëseos aliquando figurata est, quam tamen propterea Poësin esse non rectè dixeris. Solum canticum Moysis extremo Deuteronomio, Proverbia Salomonis & totus ferè liber Job quâdam Rhythmi necessitate cohibentur, quò Rhythmus est instar duarum dimetriarum Jambicarum, & tinnulus accedit ad aures. Sed aliquando pauciorum sunt Syllabarum, aliquando plurium, quales Græcorum εἴχοι καταληκτικοὶ, βραχυκαταληκτικοὶ, ἰσόμετροι: non utiqve quòd compositio fiat κατ' ἰσομερίαν, ut in Græcis solet; neq; enim hoc exprimi potest idiomate Ebraico, sed quantum sententia postulat, Rhythmus nunc largior, nunc brevior &c. Nam ut in Ebraico, Syriaco, Arabico & Abyssino idiomate ulla metri species concipi possit, nemo efficere potest; quia id natura sermonis non patitur. Verùm enim verò quicquid de metris veterum Ebraeorum sit, nullam metri speciem in Ebraico, Syriaco, Arabico & Abyssino idiomate concipi posse, quòd id natura sermonis non patiatur, eadem nimis liberalis assertio est. Nam dantur in lingua*

Ebraicâ

Ebraëa vocales breves & longæ, quid quæso obstat, quo minus ex iis nascantur Syllabæ breves & longæ, ex harum dispositione pedes & ex horum dispositione, varia carminum genera? Et de Arabico idiomate ego magis miror, quòd & illud metrum non admittere dicat Scaliger. Quomodo enim poterat virum ἀραβικώτατον fugere metri Arabici ratio, quam exposuerunt luculenter Phil. Gvadagnolus in *Arte Metricâ Institutionibus suis Arabicis adjectâ*, Samuel Clericus in *Profodiâ Arabicâ, cum carmine Tograi à Pokokio illustrato*, Oxonij editâ, M. Joh. Fabritius *appendice de Poësi Arabum specimini subjunctâ*. Demus tamen, hexametra & Pentametra ad Analogiam lingvæ Latinæ vel Græcæ, ab Ebræo Arabicove idiomate haud admitti, quis dicat id circò nullam metri speciem concipi posse? Conf. Alstedius *Triumph. Bibl. p. 262. 263.*

TH. III. Aliàs Scaligero metrum omne in Scriptura neganti aures substringit Cl. Bohlius *Disp. 1. pro ministerio sensus ex accentibus metricis th. 16. seqq.* ubi inter cætera dicit: *Statuo ergò in predictis libris* ⲙⲉⲗⲉⲓⲃⲉⲥ *non esse μέτερον, sed μέλεγεῖδες, & si ad manum esset vocabulum vilius, adhiberem sanè.* Ita & Cl. Wasmuth. *Instit. Accent. p. 14. in libris, qui vulgò metrici dicuntur, nullum dari metrum Poëticum ait, nisi fortè ex accidenti.* Quam sententiam sub quo moderamine & nos admittamus, infrà fusiùs exponemus.

TH. IV. Pleriqve aliàs μέλεικόν τι ὁμοιομετρίων concedunt non tamen eadem παρρησία utuntur. Quidam enim suam simpliciter hie fatentur ignorantiam, uti Fr. Junius & Val. Schindlerus in *Gramm. Lud. Lusitanus quæst. de Carm. Davidis*, Gilb. Genebrardus *ad Ann. 3006.* Bellarminus *Inst. Ebr. p. 3. c. ult.* Alstedius *l. c. p. 265.* & alii. Ante eos idem ingenuè prolocutus est Augustinus, dum *Tom. II. Ep. 131. ad Numerium* ait: *Quibus numeris constent versu Davidis, non scripsi quia nescio. Neq. enim ex Ebraëa lingvâ (quam ignoro) potuit etiam*

numeros interpretes exprimere, ne metri necessitate ab interpre-
tandi veritate amplius, quam ratio sententiarum sinebat, digredi
cogeretur. Certis tamen eos constare numeris, credo illis, qui eam
lingvam probe callent. Amavit enim vir ille sanctus musicam prius,
et in ea studia nos magis ipse, quam ullus alius accendit.

TH. V. Confidentius loquuntur è veteribus illi, qui
Hexametra, Pentametra & Lyrica carmina in sacro codice
constituunt. Ita Josephus Ant. l. 2. c. ult. καὶ μουσῆς ᾠδὴν εἰς τὸν
θεόν, ἐγκωμιὸν τῆς καὶ τῆς εὐρυθείας εὐχαριστῶν ᾠδὴν ἐξαμέ-
τρῳ τόνῳ συντίθεισιν. Et l. 4. c. ult. Ἐπειτα ποίησιν ἐξαμέτρῳ αὐτοῖς
ἀνεγνω, ἣν καταλέλοιπεν ἐν τῷ βιβλίῳ τῶ ἱερῷ. Et l. 7. c. 12. Ἀπὸ
λαγμῶν δ' ἤδη παλέμων ὁ Δαβὶδ καὶ βασιλείας ἀπολαβὼν τὸ λοιπὸν
εἰρήνης ᾠδὰς εἰς τὸν θεόν, καὶ ὕμνους συνετάξατο μέτρῳ ποικίλῳ. Τῶν
μὲν γὰρ τετράμετρῳ, τῶν δὲ πενταμέτρῳ ἐποίησεν. Josepho succinit
venerabilis Patrum chorus. Eusebius παρ. εὐ. lib. 11. c. 3.
Ἴεν δ' ἀν' αὐτοῖς καὶ ἑξαμέτρῳ ποιήσεις, ὡς ἡ μεγάλη μουσικὴ ᾠδὴ καὶ
τῷ Δαβὶδ ὁ εἰς ψαλμὸς τῷ καλαμῶντι παρ' Ἕλλησι κερῶ συντε-
ταγμῶν. Φασὶ γὰρ ἐξαμέτρα εἶναι ταῦτα δι' ἑκκαίδεκα συλλαβῶν
πεπονημῆα. Καὶ τὰ λοιπὰ δὲ τὰ παρ' αὐτοῖς, δι' ἑπτῶν λέγεται τετ-
ράμετρῳ τῆ καὶ τετράμετρῳ κατὰ τὴν οἰκίαν αὐτῶν συγκείσθαι Φωνήν.
Compertum id erat Juliano Apostatae: inde, teste Cyrillo
Alexandrino contra Julianum l. 7. sect. 2. Discipularum, dice-
bat, studium in liberalibus artibus exercitatio, non ut Ebraeorum,
sunt rudia et barbara, quamvis malus Eusebius velit esse quaedam
apud eos hexametra. Hieronymus autem non in uno idem
professus est loco. Ita Tom. 3. Ep. ad Paulinum de Jobo ait:
Prosa incipit: versu labitur: pedestri sermone finitur. Ac de
Davide ibidem: David Simonides noster Pindarus et Alcaeus,
Flaccus quoque Catullus atque Serenus, Christum lyra personat, et in
decachordo Psalterio, ab inferis excitat resurgentem. Et Praef. in
Jobum: Quod si cui videtur incredulum, metro scilicet apud
Ebraeos et in morem nostri Flacci, Graecique Pindari et Alcai, et
Sapphus, vel Psalterium, vel lamentationes Jeremie, vel omnia
ferme Scripturarum cantica comprehendere; legat Philonem, Jo-
sephum,

sepbum, Originem, Casariensem Eusebium & eorum testimoniis me-
verum dicere comprobabit. Porro ibidem: à c. 3. v. 2. usq; ad
c. 42. v. 6. ait, hexametros versus esse dactylo spondeoq; currentes
& propter lingua idioma crebro accipientes & alios pedes non
earundem syllabarum sed eorundem temporum. Et Praef. in
Chron. Euseb. dicit, Salomonis & Jobi, scripta Hexametris &
Pentametris constare. De Psalterio verò hæc habet: Quid
Psalterio canorius? Quid in morem nostri Flacci & Graci Pindari
nunc Jambo currit: nunc Alcaico personat: nunc Sapphico tumet:
nunc semipede ingreditur. Sic & Isidorus Hispalensis Orig. l. 2.
cap. 18. Jobum hexametro versu, dactylo, Spondeoq; decurrere
scribit.

TH. VI. Verùm quomodocunq; rem aggrediamur,
sub leges constantes Hexametrorum & Pentametrorum
sacra carmina cogere non possumus. Quòd enim Marianus
Victorius Reatinus Not. ad Hieron. Epist. CXVII. dicit, se re-
perisse ex Hieronymo, Hexametros versus ex Spondeo Dactylo &
aliis pedibus, Trocheo Jambo & proceleusmatico currentes, id
ipsi sanè concedemus, interim certum est, Hexametrum
carmen non denominari ab uno vel altero Hexametro
versu, qui & in prosa oratione per accidens occurrere
potest, sed à perpetuâ istius mensuræ observatione.
Proinde ista veterum autorum testimonia apud peritiores
plus admirationis, quàm assensus hætenùs obtinuerunt.

TH. VII. Recentiores proinde non unâ rem aggressi
sunt viâ. Hoc facilè videt, præterquam qui nihil, textus,
qui metrici in SSâ dicuntur, non constare carmine me-
trico Rhythmico. Utut enim Theodorus Eberus Poët. c. 2.
p. 39. seq. versus quosdam hodiernis Judaicis analogos ex
Psal. 6. 2. Ps. 8. 5. Ps. 105. 20. Ps. 106. 5. Ps. 116. 7. Ps. 118. 25. Ps. 119. 30.
Psal. 146. 7. Job. 21. 4. Prov. 24. 19. c. 1. 8. producat, illi tamen
nihil probant in rem præsentem, sed argumentum con-
ficiunt à particulari. Una hirundo non facit ver: unus vel
alter versiculus librum metricum non arguit. Aliàs me-
trice

tricè conscriptum quoque esse Nov. Testam. ubi reperies
Jambos *Matth. 7. 7. &c.* Pentametros *Luc. 14. 30. Rom. 6. 13.*
Hexametros *Luc. 21. 18. &c.* in mediâ oratione solutâ. Sic in
versione Germanica B. Lutheri *Genes. 26. v. 8.* *Dasß Isaac*
schertset mit seinem Weibe Rebecca.

TH. VIII. Cœterùm colligenda primùm sunt vota
Christianorum, quibus deinceps succedent Ebræi. De
Vatablo ait *Mercerus ad cap. 3. Jobi: Accepi D. Vatablum*
(laudandæ memoriæ) rationem intellexisse versuum omnium Jobi &
Psalterij & ejusdem Canones ad facilius eorum rationem intelligen-
dam præscripsisse, ut: Quod nulla sit Ebræis positio; Quod
Scheva ne geminum quidem pro aliquo computetur: &
alia hujusmodi quæ speramus aliquando proditura. Sed sepulta
ea sunt cum autore suo.

TH. IX. *Andreas Masius ad Jos. c. 10. p. 185.* fatetur, se in
metricâ Ebræorum inveniendâ nonnihil studij, sed frustra po-
suisse, ex verbis tamen Josuæ c. 10. 'שמש בנבעון' facit jam-
bicum Tetrametrum acatalectum, si modo in primo scri-
batur *השמש & והירח* in tertio v. *שמש & שמי*, illic ap-
positâ, hîc ablatâ litera He, ut mendosa sit hodierna lectio.
Verùm maneat potius æternum sepulta Poësis, quàm
sacrarum Literarum sollicitetur integritas. Venit nobis
in mentem *Viri cujusdam Clarissimi, τὸ πρῶτον ἐν ἀγίοις*, cujus
nomen honoris causâ reticemus, qui carminum sacrorum
notitiam profitebatur, si modò Pontificiis dari posset,
lacunis hinc inde hiare Scripturam. Eam tamen hypo-
thesin Vir doctissimus periculosam esse, nobiscum agno-
scebat. Malumus profiteri ignorantiam Poëticam, quàm
ita truncare Scripturam.

TH. X. *Marianus Victorius Reatinus Not. ad Hieron. E-*
pist. CXVIII. ut suprâ vidimus, se ex Hieronymo Hexame-
tro reperisse refert, & de carminibus Ebraicis in genere
addit, ea non pedum regulis, ut fit ap. Latinos atque Græcos,
coarctari, sed liberè fluere, ut *Etruscorum carmina soluta; in*
Cantico

*Cantico Canticorum occurrere versus Leoninos. Verùm Hexa-
metros nos hodie frustrà quærimus, & licet per accidens
unus vel alter detur, rem nondum conficit; carmina
autem soluta manifestam involvere contradictionem
existimamus.*

TH. XI. Joh. Crojus *Obs. in Nov. Test.* cùm nonnihil de
Eusebii, Hieronymi aliorumve sententiis dixisset, sequen-
tia subjicit p. 96. *An istæ Hieronymi & Eusebii observationes in
omnibus verae sint, & utrum cum Rabbiorum sententiâ conve-
niant, non est hujus loci diligenter disquirere. Qui libros Moysi
legerunt, ac Moysi Maimonida & reliquorum Rabbiorum de libris
Legis ac de eorum scribendorum ratione traditiones consuluerunt,
sciunt, quomodo Judæi Canticum Moysi scribant. Illud non scri-
bunt continuâ vocum & versiculorum, quibus constat, serie, ut
reliquas legis partes; sed incisum & per commata duarum vocum,
modò quatuor, modò quinq̄, modò sex: hoc modo: אשירור
ליהור כי נאח נאח סוס ורכבו רמה כי עוי והמרר
&c. Eadem prorsus ratione veteres Græci libros Scripturæ
qui *σχιζεις* dicuntur, scribebant, ut patet non solum ex editione
Jobi, quam Patritius Junius è codice manu Thecle exarato, ante
quinq̄ annos exhibuit, verùm etiam è pluribus aliis MSS. codici-
bus, quos vidimus. Hucusque ille. Verùm si Vir CL. autu-
mat incisionem illam Canticorum institutam esse è *τάξεις*
Metrica, oppidò fallitur. Est quippe ejus tanta varietas,
ut nimis credulum esse oporteat, qui modum istum scri-
bendi Judæis usitatum, de quo conferri potest Maimo-
nides in *Hilcot Sepher Tera. c. 8.* statim concludat esse metri-
cum, nimis lynceum verò, qui videat. Eruditi judicent
& excogitent simul rationem, quare libri, qui vulgò me-
trici creduntur, ad eum modum ab iis non exarentur.*

TH. XII. Laurentius Fabritius *in Metricâ c. 4. p. 26. f.*
tradit, in libris metricis quamque pericopen in duo he-
mistichia dividendam esse, unumquodq̄; v. hemistichium

B

duabus

duabus absolvi dimetriis vel 4. dipodiis, id quod in Jobo & Proverbiis propè exactè observari ait: nullam autem temporis vel quantitatis rationem esse. Rhythmus itidem concedit, sed distingvit Rhythmum veterem à novo: illum, non hunc reperiri dicit. Verùm cum ipse Vir doctissimus magnam occurrere varietatem, quin & nonnunquam orationem solutè ac liberè fluere fateatur, fidem invento adhibeat, qui potest. Nos periculum fecimus in Jobo & Proverbiis, & edocti sumus, rationem à *Fabritio* præscriptam constanter haud observari, sed stante ejus hypothesi plerumque Metra sacra fore ἀμετρὰ, qualia pro ingenii tarditate nondum concipere possumus. Eodem inclinat Cl. D. Nic. Petrus *Metric. Ebr. §. 2. obs. 3.* qui & alia habet partim calculo digna, partim carbone notanda, *Obs. 7.* ait: *Tenendum est librum Psalmorum magnà ex parte, Canticum verò Salomonis & Threnos Jeremia planè ἀμετρὰs esse, seu oratione tota prosa constare, quare operam suam ludit, qui numerum & rhytmum ibi querit, ubi nullus est. Jobum verò & Proverbia Salomonis facili negotio dimetiris, si nonnunquam in priore, nonnunquam in posteriore versuum membro, Syllabam aut pedem integrum desiderari vel abundare advertis. Verum enim verò, si ullum metrum in sacro Codice esset, id in Psalterio & Cantico Canticorum reperiretur. Nam si istos libros fatearis esse ἀμετρὰs & Prosaicos, nescio, quæ nos cogat ratio, ut in Jobo & Proverbiis metrum concedamus, præsertim tale, quod nullam statam rationem habet pedum & Syllabarum.*

TH. XIII. Theod. Ebertus *Poëseos veteris formam primitus solo temporum numero circumscriptam & occultâ accentuum dispositione constitutam fuisse Poët. Ebr. c. 2. reg. 3.* ait. At præsertim quoad posterius Vir Clarissimus oppidò fallitur. Si enim accentuatio metrica esset de formali ratione metri Sacri, utique à textu metrico abstrahi non posset, id autem fieri

fieri posse, tum Canticum Canticorum, tum cantica he-
roum & heroinarum V. T. tum Psalmus 18. recensitus 2. Sa-
muel 22. satis luculenter testantur.

TH. XIV. Post alios autem in Poësin sacram multo la-
bore & studio indefesso inquisivit Vir CL. D. Franc. Gomarus
Prof. Groeninganus, evulgavitq; *Lyram Davidicam* s. novam
Ebræam SSæ artem Poëticam canonibus suis descriptam
An. 1637. quod opusculum & inventum ejus *Job. Buxtorfius*,
Dan. Heinsius, *Lud. de Dieu*, *Const. L'Empereur*, *Hottingerus* & alii
Philologi passim comprobarunt & commendarunt. Præ-
cipuæ v. D. Gomari hypotheses s. regulæ sunt sequentes I.
Syllabas longas fieri ex vocalibus longis, breves ex brevi-
bus, adeoque nullam planè esse Syllabam ancipitem vel
communem præter ultimam p. 21. 22. II. Vocales raptissimas
tres s. tria Schevajok composita etiam facere Syllabam bre-
vem p. 21. III. Nullius Scheva simplicis nec mobilis nec
quiescentis ullam rationem in Poësi vel carminum scan-
sione haberi p. 21. IV. Ebræis nullam esse positionem *ibid.*
V. Varia posse dari carmina ex variis pedibus disposita vel
pura, vel mixta, vel brevia vel longa, vel analoga vel ano-
mala, vel excessu vel defectu imperfecta &c. p. 26. VI. Car-
mina Ebræorum esse ἀτακτα, inordinata, absoluta, non re-
lata, seu carmina Ebraica multis generibus inordinatè &
promiscuè, non recurrentibus certis numeris vel locis
constare p. 97.

TH. XV. Verum enimverò edidit Anno 1643. *Lud. Cap-
pellus* Prof Salmuriensis *Animadversiones ad novam illam Da-
vidis Lyram*, ubi inter alia p. 50. sequentibus eam notat ver-
bis: *Si sic licet ἀναλύειν* (D. Gomarus resolvit sacra carmina)
*omnia versus fient, etiam quæ maximè videntur esse à ratione car-
minis aliena. Libri, inquam, omnes sacri, historici & quotquot
non sunt neq; ab ullo censentur esse carmine conscripti, juxta hanc
methodum & analyseos rationem inveniuntur carmine scripti. Con-*

stant enim variis multisq; periodis, periodi distinguuntur in cola, colon in commata, unum vel plura: commata enim omnia juxta hanc analysin erunt totidem versus, quorum alii poterunt dici iambici, alii Trochaici, quidam Sapphici, alii Dactylici vel Anapestici, Choriambici, Jonici, Paonici, Antispastici, iug; erunt vel puri vel mixti, & mixti erunt vel analogi vel anomali: sicq; carmina invenientur, vel perfecta vel imperfecta, atq; ita erunt vel integra vel *καταληκτικὰ* vel *ἀκαταληκτικὰ* vel *ἑσπευκὰ* *καληκτικὰ* & c. Eorumq; alia erunt monometra, alia dimetra, trimetra, tetrametra, pentametra vel hexametra. Juxta hanc resolvendi & dinumerandi viam atq; rationem nihil non erit versus. Omnia invenientur carmine scripta, etiam epistola Ciceronis & Demosthenis orationes: sic Titi Livii libri & Caesaris commentarii resolvi poterunt juxta hanc methodum in versus & carmina variorum generum, vaga & incerta, quae vult esse sacra carmina vir Magnus. Haecenus Cappellus. Nec ab- similis est censura Magnif. Dn. D. Calovii Crit. Sacr. p. 377. Si haec, ait ibi, poemata sunt, in quibus Syllaba vel longa occurrunt vel breves: vel utraq; , sine legibus variantes, nec versus sibi mutuò respondeant ullà ratione, sive Syllabarum numero sive quantitate, s. singuli s. in strophas redacti, nullusq; adeò unius ad alterum sit respectus Poeticus, nisi forte casu aliquò, deniq; quae prorsus à τακτὰ sint, nullamq; inter se habeant similitudinem, neq; ἀκρίτως s. revolutionem, ut de his fatetur ipse Lyrae hujus inventor: nullum profectò caput in universo codice sacro erit, quin eà ratione sit poema quoddam, imò quicquid omninò dicitur scribiturq;, poema evadet, nemoq; erit, quin jactitare possit illud Poeta: Quicquid conabar dicere, versus erat.

TH. XVI. Non iniquam autem istam in Gomarum, Virum aliàs nobis aestimatum, esse censuram, experimento infallibili probabimus, non animo Viro doctissimo insultandi, sed ostendendi, conatibus etiam præclaris non semper respondere eventum. Orationem sc. Dominicam è vulgatâ versione metricam juxta Gomari Lyram evincemus

MUS

mus h. m. *Pater noster qui es in caelis* (Carmen antispasticum
 anomalon, mutato duplici antispasto in duplicem epitri-
 tum primum, juxta Gomar. Lyr. p. 90.) *Sanctificetur nomen
 tuum* (choriambicum mixtum ex Epitrito quarto hypercat.
 p. 69. 70.) *Adveniat regnum tuum* (Jonicum à majori dime-
 trum mixtum p. 72.) *Fiat voluntas tua* (Jambicum Dimetr.
 brachycatal. p. 35.) *Sicut in caelis & in terrâ* (Epichoriambi-
 cum ex Syzygiâ troch. trim. brachycatal. p. 68. 69.) *Panem
 nostrum quotidianum* (Dactylicum Tetrametrum mixtum p.
 55.) *Da nobis hodie* (Dactyl. Trimetr. Catalect. p. 54.) *Et remitte*
 (Trochaicum monom. acatalect. p. 42.) *Nobis debita nostra*
 (Dactylicum Trim. mixtum p. 53.) *Sicut & nos* (Troch. mo-
 nom. p. 42.) *remittimus* (Jamb. mon. perf. p. 30.) *debitoribus
 nostris* (Troch. Dimetr. catal. anom. p. 50.) *Et ne nos inducas*
 (Spondaic. Trim. p. 53.) *in tentationem* (Troch. Dimetr. bra-
 chycat. p. 50.) *Sed libera nos à malo* (Jamb. dimetrum p. 33.)
 Tantum tamen abest, ut laborem Viri CL. improbemus,
 ut laudemus potius conatum. Lyram tamen ejus in mul-
 tis delirasse, & Virum CL. laborasse in cassum, quis non vi-
 deat & simul doleat?

TH. XVII. E Scholis Christianorum jam transitum pa-
 ramus ad Judæorum synagogas, periculum facturi, num il-
 linc reverti queamus doctiores, vel recedere ab eorum li-
 mine onustiores. Abarbenel itaq; doctissimus Hispanus,
 duplex carminum genus apud antiquos in usu fuisse ait:
 unum accommodatum esse ad certas melodias certis in-
 strumentis Musicis competentes, ad quas authoribus
 semper respiciendum fuerit, cumq; melodia jam brevior
 jam longior esset, hinc quoq; eos jam fecisse לְבַנְנָה עַל גְּבוֹי לְבַנְנָה
 אֲרִיחַ עַל גְּבוֹי לְבַנְנָה לְבַנְנָה אֲרִיחַ Laterem super lapide dimidio: jam
 לְבַנְנָה עַל גְּבוֹי אֲרִיחַ אֲרִיחַ עַל גְּבוֹי אֲרִיחַ d. mi-
 didium laterem super integro: jam לְבַנְנָה עַל גְּבוֹי לְבַנְנָה עַל גְּבוֹי לְבַנְנָה
 לְבַנְנָה עַל גְּבוֹי לְבַנְנָה Laterem super latere i. e. ut planissimè ejus mentem explic-
 mus,

mus, eos jam conjunxisse versum longum cum brevi, cum melodia esset ex longiori & breviori composita: jam brevem cum longo, pro ratione melodiæ, ita ut hac ratione versus primus tertio & secundus quarto longitudine responderet: jam junxisse duos breves, jam duos longos. Alterum genus antiquorum carminum ratione styli tantum à solutâ oratione discriminat. Conf. ejus *Comm. in Exodum c. 15. R. Asarias in Meor Enajim P. 3. c. 60.* postquam varias, etiam Christianorum Patrum, adduxisset sententias, tandem concludit, antiquam poesin constituisse non in numero syllabarum vel pedum, sed in numero rerum s. partium orationis, subjecti & predicati & ejus, quod illa copulat in una qualibet enunciatione vel versu. Sic in Cantico Mosis *Exod. 16, 5.* וְיִמְנַח יְהוָה est juxta eum unus versus constans duobis terminis: נֶאֱדַר בְּכַח est ipsi similis & cohærens, unde jam fit tetrametron, cui respondet alterum Tetrametron וְיִמְנַח יְהוָה תִּרְעַץ אֵיבִי &c. sed subjicit postmodum: non me fugit inveniri quosdam versus, quos non possum accommodare ad rationes seu modos istos & fortè nimis multos. Verùm bis observatis, intelligentes fortè illustrabuntur & invenient, de quibus ego non cogito. Autor libri *Schilte gibborim f. 3. c. 3.* postquam non dissimilia proposuit ab iis, quæ ex Abarbenele produximus, notat se in quibusdam antiquis parabolis, quæ similes carminibus, invenisse in fine distichorum rhythmos, ut plurimum autem numero syllabarum impari existente ut *Num. 21. v. 27. 28.* aliquando canticum sine rhythmo distichis numero syllabarum pari constans. Conf. & autor *Cofri P. 2. à §. 69. ad 79.* & Buxtorfii *F. mantissa ad eundem*, & quæ *R. Moses benchavif*, habet in *Darke Noam*, adductam à Buxtorfio *P. Thes. p. 628. f.*

TH. XVIII. Sed & tempus videtur, ut & nostram adjiciamus symbolam. Mallemus equidem silentio litare, quàm nostra ὀφθαλμοῦς lectori obtrudere. Proferemus tamen

men ea non tanquam elaborata, sed examinanda doctio-
ribus. Lapsus si quis est, Poeticus erit adeoque non capitalis.
Existimamus autem Textus quosdam sacros posse ἐν πλάτει
dici carmina, at neutiquam κατ' ἀκρίβειαν metrica, i. e. ad
leges Poeseos s. Europææ seu Orientalis hodiernæ adstri-
cta, sed scrupulosiori quantitatis Poeticæ necessitate so-
luta, ad Musicam tamen ita accommodata, ut quodlibet
hemistichium, vel tertia periodi quandoque pars certò &
vorum & Syllabarum numero contineatur, pro diversâ
ratione melodiæ ad eum vorum syllabarumque tractum
proportionata: ita tamen ut nulla habeatur ratio s. rhyth-
mi propriè sic dicti, sive metri, i. e. quantitatis syllabarum
seu è naturâ vocalium, ut ferè apud Europæos, seu ex Syl-
labæ simplicitate & compositione, ut apud orientales ple-
rosque, metiendæ, sed tantum numeri ad melodiam pro-
portionati; uti videmus cantionculas quasdam Ecclesia-
sticas Latinas numero quidem syllabarum congruere ad
certas & notas melodias, omnibus interim metricis legi-
bus solutas. F. c. *Puer natus in Betlehem &c. Ad cœnam
agni providi &c. Surrexit Christus hodie &c. Spiritus sancti gra-
tia &c.* Rationes nostræ vel potius conjecturæ huc re-
deunt: I. Carmina sacra in sacro codice efferuntur termi-
nis non inferentibus μετρητόν η, sed μετρητόν η sive cantum,
puta שיר המעלות, שיר השירים, שיר מזמור, מזמור שיר
&c. È recentiori autem Judæorum ὀνοματεσία est, quod metra
sua ad Arabum simul & Europæorum methodum accom-
modata, שירי vocitant. II. Psalmos certis melodiis ac-
commodatos fuisse, è multis patet inscriptionibus, quæ
melodias inferunt applicabiles vel certis instrumentis
Musicis, de quibus quædam ex mente Ebræorum præser-
tim Auth. *Schilte gibborim* affert, imò depingit Ath. Kirche-
rus in *Musurgia Tom. 1. l. 2. c. 4.* vel certis materiis vel ad nor-
mam aliarum cantionum solis Judæis olim notarum &
canone

canone haud contentarum, Ex. gr. למנצח בנגינות *Pfal.* 4.
 54. 55. 67. 76. הנחילורה למנצח אלה *Pfal.* 5. למנצח על השמינה
 למנצח *Pfal.* 12, 6. הנחת על למנצח *Pfal.* 8, 81, 84. למנצח
 למנצח *Pfal.* 9. שושנים על מורה לבן *Pfal.* 45, 69.
 למנצח על למנצח *Pfal.* 46. תשחה על למנצח *Pfal.* 57. 58. 59. 75.
 שושן עדורה *Pfal.* 60. &c. Et decan-
 tatos esse Psalmos Davidicos alternis, è *Pfal.* 136. & *Esdr.* 3. v.
 10. 11. manifestū est. III. Simplicior atas erat ista nascentis po-
 puli & politia Judaica à servitute Aegyptiaca vixdum respi-
 rantis, quàm ut de constitutione metri & legum poeticarū
 susciperent cogitationes. Nam in detentione Babylonica
 longè tolerabiliori cantica & carmina seponebant *Pfal.* 137. v.
 2. 3. 4. Vix itaq; credim⁹ Gomaro, quod Mirjam *Exod.* 15. car-
 men recitasse ait, sc. metricum; ἐν πλάτει non negamus.
 IV. Quomocunq; res tentetur, uti testantur infelicia
 hætenus multorum pericula, proportio carminum sa-
 crorum irreconciliabilis est cum poesi s. Europæa, s. orien-
 tali, hodiè Arabibus, Persis atq; Turcis usitata, cui tamen
 videtur accedere debuisse propius vel certè non prorsus
 ab eadem abluere. Certè quotquot in toto universo,
 quantum fando auditum, vel è scriptis notum, metra
 condunt, vel sequuntur leges Arabum, vel Latinorum atq;
 Græcorum, vel Germanorum atq; Italicorum. Carmina
 sacra autem ad nullas omninò ex hisce congruunt, quod
 nobis est εὐδηλον, adeoq; ἐξαρώνιον. In gratiam curiosi lecto-
 ris videamus, qua ratione carmina cudant omnes Asiati-
 ci & Africani. Arabas (de quorum Poesi infra dicemus)
 imitantur Persæ atq; Turcæ. Syri in suis carminibus acce-
 dunt ad Germanos atq; Italos. Nam Rhythmum obser-
 vant, & Syllabarum æqualitatem. Maximè celebrantur
 duo Carminum genera, quorum unum dicitur *Jacobiti-*
cum, alterum *Ephremiticum*. Illud constare ajunt è tri-
 bus

bus *Paufis*, quarum singulae quatuor Syllabarum esse debent, s. est Hexametron, & rhythmus diversis se modis habet, vel ita ut prima pausa primi versus in fine ὁμοφώνως respondeat primae pausae secundi versus, secunda secunda, tertia tertia; vel ut fines versuum modo congruant, &c. Hoc est quasi *Anacreonticum Heptasyllabum*. Conf. Ath. Kircherus *Musurg.* T. 2. l. 8. c. 7. p. 129. De *Samaritanis* haec habet idem l. c. p. 133. *Samaritani in omnibus Ebraicam* (recentiorem) imitantur, quamvis vix inveniantur libri apud eos Poëtici, si paucos hymnos, quos in sacris Gazae decantare solent, excipias, qui nescio quid *Jambicum* oleant, & si quidem ὁμοφώνως consonant, sed in syllabarum identitate sibi non constant. Porro *Armeni* imitantur hodie Poësin Latinam & Graecam, ceu constat è Poëtica Armenica *Clem. Galani*, quae incipit *Gramm.* p. 10. sic & *Plautus* sua *Punica* in *Poenulo* Act. 5. sc. 1. & seqq. sub Latinae Poeseos regulas redegit. De *Aethiopum* Poësi ita Anno superiori Cal. Maji ad me scripsit Nobiliss. *Jobus Ludolfus*, Consiliarius Sereniss. Duc. Saxonici splendidissimus, Patronus & Fautor meus colendus; Coeterum de prosodia *Aethiopum* tenendum est, quamvis *Carenina* ament, multique insignes apud illos reperiantur Poetae & quidem omnes Christiani (prout unum possideo, qui composuit *Odas* in *Fastos Aethiopicos* totius anni, sanctorum omnium vitam breviter continentes) generatim eorum ferè omnia sunt hypermetra sine certis legibus metricis, ne rhythmus quidem satis exacta ratione habita; si versus una eademque littera invariato ordine, prout in hexastico hoc (à nobis concinnato) factum, consistit, sufficit illis; adeo ut rude satis illis sit carmen & à prosa parum differens. Idem de *Coptitis* dicendum. Quod si proinde Metrum Ebraicum in *SSa* extaret, quis credat id nullam convenientiam habiturum cum ullo metro Asiatico & Africano? V. Si unquam talis Poësis fuisset, qualem multi fingunt, quis credat, eam ita ex omnium hominum memoria deletam, ut nullum planè ejus

C

nè ejus

nē ejus mentionem fecissent Talmudici aliiq; antiqui
 Ebræorum scriptores, ut nulla planē superāssent penes
 posteros ejus rudera atq; ἐρείπια. Nam quòd neq; vocalium,
 neq; accentum meminisse dicuntur, quamquam illud sim-
 pliciter verum non sit, id mirum haud foret. Vocales &
 accentus omnium oculis patebant, nec moneri poterat
 de eorum præsentia, nisi luscus fortè vel planē cæcus. At
 poesis non erat exposita cuivis, quamvis oculatissimo.
 Carminum autem ad Musicam accommodatorum vesti-
 gia comparent satis manifesta. Nam quòd ex quâdam
 κακοζηλία hodiè Judæi sacros textus cantillant, inde procul
 dubio est, quòd per patriam traditionem norunt carmina
 sacra olim cantillata esse, utut nesciant quomodo. VI.
 Poesis ista Hexametra & Lyrica per ultimam analysin re-
 solvitur in auctoritatem Philonis, Josephi & Patrum quo-
 rundam Christianorum. At num Philoni atq; Josepho
 ἀνιβερασία jure impingi queat, non contendemus præfra-
 ctiùs. Nisi tamen quædam ipsorum sint ὑποβολιμαία, vix
 possumus aliter pronunciare. Nam ἀναπόλογητα prostant
 in publicum παρρηματῶν. Porro Hieronymus equidem
 Ebraismi haud rudis erat. At certè hîc non credimus, quod
 aliàs de ipso vulgatum: *Neminem scisse, quod nesciret Hierony-
 mus.* Cæteri testes Hieronymo paria hîc non faciunt. Quo-
 modo itaq; hisce solis sensu & experientiâ reclamante cre-
 di posset, in sacro codice dari Hexametra. Cæterùm Mu-
 sica olim erat pars cultus Levitici: (nam Levitæ cantabant
 in Templo. Conf. Franzius *Schol. sacrif. Diss. 3. §. 55. seqq.* &
 de gradibus s. suggesto Levitarum Jac. Juda Leo in *Tabnit
 Hechal l. 2 §. 54. 55.*) hîc cessante expiravit & illa, & simul
 quæ juxta eam erat Poesis Ebræorum. Quamquam ergò
 divinare liceat, quæ ejus in genere fuerit ratio, intimam
 tamen formam describere hodiè, nemini est integrum.

TH. XIX. Obvertunt quidem, quibus sedet τὴν ὑπερθεσίαν
 φυλάττειν, unum atq; alterum, quò obtineant, dari sacra
 metra καὶ ἀκρῆβέσεσιν. 1. Testimonia SSæ *Esd. 3. v. 10. 11. 2. Sam.*
23. 1. Ecclesiastic. 47. v. 11. Ita Kircherus *Musurg. T. I. l. 2. c. 5. §. 1.*
 2. Consensum veteris Ecclesiæ, *Sedulii, Hieronymi, Ambrosii,*
Eusebii, Augustini, Athanasii, Cassiodori Prol. in Psalt. c. 15. Idem
ibid. 3. Verisimile esse, Græcos ut omnem cæteram lite-
 raturam, ita & Poëticam ab Ebræis didicisse. Idem *Ibid. 4.*
 Instrumenta Musica præsupponere carmina, Idem *p. 59. 5.*
 Occurrere in libris metricis aliquid speciem habens licen-
 tiæ Poeticæ & ob aliquam metri necessitatem crebriores
 illic videre ellipses, Paragogas &c. 6. Accentuationem il-
 lic esse planè diversam & procul dubio metro accommo-
 datam. 7. Stylum, characterem, genusq; dicendi esse Poë-
 tica. Kircherus *p. 61.* 8. Aliàs dicendum fore nulla esse sacra
 carmina, quæ tamen Christiani æquè atq; Ebræi concedant.
 Sed Resp. ad I. Loca ista non inferre μετρητόν τι, sed μουσικόν τι,
 quod & nos concedim⁹. Ad II. Patres omnes vix tribus ex-
 ceptis) fuisse αἰεβραϊστῶν & sic in præsentī causa iudices inido-
 neos. Ad III. N. V. C. Et si Græci suam Poësin acceperunt
 ab Ebræis, oportet Ebraicam Poësin similem hodiernæ
 Græcæ fuisse. Faciat nunc quæso Kircherus periculum &
 Psalterium juxta leges Poeseos Græcæ resolvat. Ad IV.
 Præsupponere non metra (nam cantillamus quoq; : *Puer*
natus &c. in quo nil metri) sed aliquid ad Musicam accom-
 modatum. Ad V. Ellipses atque Paragogas non adhiberi
 ob necessitatem metri, sed Euphoniæ gratiâ & obvias quo-
 que esse in libris omnium confessione non metricis. Fre-
 quentiores autem easdem in libris metricis ita dictis non
 diffitemur, ast non ab rigorosè dictum metrum, sed vel
 ob peculiarem dictionem, vel ob cantum seu potius pro-
 portionem textus cum melodiâ. *Ad VI.* Si ex accentuatione
 metricâ æstimandum foret proprii nominis metrum, i. se-
 queretur,

queretur, Canticum Canticorum non esse carmen, quod
tamen est canticum excellentissimum, habet enim accen-
tuationem profaicam. 2. eundem textum posse metricum
esse & non esse: cum possit sustinere accentuationem &
metricam & profaicam, ut patet è *Pf. 18. 5* & *Sam. 22*. Accen-
tuationis ergò metricæ, quæ dicitur, alius usus est, ut alibi
ostenditur. Conf. Bohlius *de ministr. Accent. metr. tb. 26. Ad*
VII. Stylum similem reperiri & in libris, qui metrici non
perhibentur sc. prophetici. Interim dici ex hypothesi
potest, in libris metricis ita dictis concisorem aliquando
stylum esse, non ob metri, sed ob cantus & melodiæ ratio-
nem. *Ad VIII*. Propriè dicta metra in S. Scripturâ haud dari,
Scaligero assentimur. Interim concedimus cantica & car-
mina ἐν πλάτει accepta cantuive accommodata. In quibus
itaq; non est merè soluta oratio, sed syllabarum atque vo-
cum certo numero ad melodiam adstricta. Interim pos-
sumus hîc & ubiq; æquo animo ferre cum ratione & mo-
destè dissentientes. Et licebit post nos aliis, quod post
alios nobis. Nec ullius sententiæ ita tenaces sumus, ut
nequeamus abjicere, si non satis firmo iudicium videatur
niti. Nunquam tam impotenter exosculamur fœtus no-
stros, ne degenerantes abdicere queamus. Gaudemus ta-
men, idem fortè, quod nobis, in meum venisse D. D.
Dorscheo *Pentad. Diss. 2. §. 2.*

TH. XX. Sed missâ antiquâ Poësi, ad recentiore[m] jam
breviter transeundum. Eam quidam ex Judæis acceptam
Arabibus ferunt. Ita Abarbenell. c. *Initium suum* illa (car-
mina rhythmico-metrica) ceperunt in captivitate nostrâ apud
filios Israel inter Ismaelitas habitantes, à quibus illi ista didicerunt;
ad illorum imitationem similia faciendo in linguâ Ebræâ, imò longè
excellentiore[m], quàm Ismaelita in linguâ suâ. Valdè autem im-
probat istam κακοζηλίαν autor *Cosri P. 2. n. 73. 74.* Cùm enim
Rex Cosri dixisset: *Verùm video, vos quoq; Judæos studere, ut*
assequamini artificium hoc compositionum metricarum & rhythmi-
carum.

carum, & alias gentes hanc in parte imitari, linguam Ebraeam etiam
 legibus earum conformando & accommodando: Respondet Ju-
 daeus: Hoc est ex erroribus & peccatis nostris --- corrumpimus
 qualitatem linguae nostrae &c. & n. 78. applicat ad Judaeos di-
 ctum Psalm. 106. 35. Verum alii malunt, Arabes ab Ebraeis
 Poësin suam accepisse. Eam fuisse sapientissimi Judaei Pro-
 vanzali sententiam, refert R. Asarias in Meor Enajim p. 3 c. 60.
 Sic hodiernam Poësin Judaicam ab ultimis accersit tem-
 poribus R. Moses Ben Chavif in Darke Noam. Dum essem, ait,
 in regno Valentia, in Synagoga Morvetri, dixerunt mihi omnes
 homines, qui in porta erant & Seniores, ibi esse statuam seu monu-
 mentum sepulchrale Principis exercitus Amasia Regis Jebudab:
 accurri ego, ut viderem eam. Statua autem illa est lapidea, ex-
 ans in vertice montis, quò cum labore & defatigatione conscensò,
 legi ejus scripturam, (ita vertit Buxtorfius. mallet: Et post
 laborem atq; defatigationem legi scripturam, nam subjicit Ben
 Chavif, se reliqua vetustate ferè deleta legere non potuisse)
 quae ibi exarata erat, carminicam, quae talis erat: שאו קינור
: לקחו יתרה: לשיר גרות: מרה בקור Reliqua non potui le-
 gere. finis autem canticierat לה מצור. Tunc credidi quòd forma
 ista carminum & bybmicorum & ligatorum in usu fuerit inde ab eo
 tempore, quo Patres nostri in terram suam fuerunt. Hac ille. De
 isto Ἰντρομῆσι ejusq; Ἰντρομῆσι consulantur Hotting, Diss.
 praemissa Cippis p. 2 f. Spizelius de Isr. Americ. p. 72. f. Inde verò
 antiquitatem hodiernae poëseos colligit ipse etiam R. Asa-
 rias, addens isthac: Si illud de Duce exercitus Amasia verum
 est, non poterimus negare, quòd hodierna quoq; carmina, quae di-
 cuntur ab Arabibus petita, illo jam tempore in usu fuerint apud vos-
 dam de vulgo & in rebus vulgaribus; non verò apud eos, qui ex
 instinctu Sp. S. carmina scripserunt. Quicquid sit, magna est
 inter hodiernam Judaeorum & Arabum poësin cognatio.
 Conveniunt termini Technici. Labet brevem instituere
 utriusq; σύγχεσις, Duo requiruntur ad omne carmen Ara-

bicum & Ebraicum: *Rhythmus* sc. & *metrum*. Rhythmi plane accuratam rationem habent Arabes, ut videre est ap. Phil. Gvadagnolum *Instit. lingv Arab. p. 322. seq.* Minoris perfectionis ajunt esse hanc cadentiam, e. g. *Nerwan, Wikran.* &c. majoris perfectionis hanc, e. g. *kardon, fardon.* &c. excellentem e. g. *kázara, názara, Riáo, niáo* &c. Similiter Ebraei distinguunt carmen propter rhythmum in עיבר *Tolerabile*, ubi fines uná; ראו *Congruū*, ubi duabus: משובח *Excellentis*, ubi tribus syllabis conveniunt. E. g. / גברים / רברים / לשמר / נלער / נחמר / לומר &c. Quod ad *metrum*, Judæis syllaba longa est, quæ habet vocalem propriè sic dictam, sive ea aliàs longa, sive brevis sit: brevis, quæ habet scheva simplex mobile vel compositum; quod enim schurek ante literam non schevatam iis itidem brevem constituit syllabam in Poësi, inde est, quod illic adhibetur pro Vau schevato, Arabes nullam agnoscunt vocalium longarum & breviū, Giezma quiescentis & mobilis differentiam, solent tamen in Poësi syllabas breves vocare simplices seu ex uná consona & vocali constantes; longas, compositas, seu quæ plures consonas seu mobiles seu quiescentes habent. Sic e. g. syllaba brevis iis est ב, longa בל vel בוי &c. Ex syllabis Judæis nascuntur pedes. Sic una syllaba longa dicitur iis תנועה *motio*, ex duabus תנועה fit *Spondeus*, E. g. ספל, ex tribus Molossus, ut כפיים. Syllaba brevis juncta longæ dicitur יתר *clavus*, Latinis *Jambus*. Ex clavo & motione, seu Jambo & syllaba longa fit *Bacchius*. E. g. עברים. Ex motione & clavo *Creticus*. E. g. אכלו quamvis rariüs. Et hi pedes ad Judæorum carmina sufficiunt. Arabes in suis carminibus habent quatuor pedes. Primus constat ex una syllaba longa i. e. duabus consonis, quarum posterior caret vocali, & dicitur *chorda levis* e. g. לז / בל &c. Secundus ex duabus syllabis brevibus, i. e. duabus consonis quarum utraq; vocalem habet, & dicitur *chorda gravis* e. g. בכ. Tertius

tius

tius constat ex altera brevi, altera longa i. e. tribus conso-
nis ex quibus duæ priores habent vocalem, ultima non
item, & dicitur *paxillus conjunctus* (eodem modo pedem ex
brevis & longa constantem Ebraei vocant *תביל* *clavum*) e. g. *לְהַלְלֵךְ*
רַמְרָם &c. Quartus constat ex altera longa, altera brevi,
i. e. tribus consonis, ex quibus prima & ultima habent vo-
calem, non item media, & dicitur *paxillus disjunctus*. E. g.
קָלֵב אֶבְרָם &c. Ex varia pedum dispositione varia oriuntur
carminum genera apud Ebraeos, & fere pro cujusq; arbi-
trio effingi possunt, modo semel instituta mensura per to-
tum carmen observetur. Dividi autem carmina Ebraica
possunt & ratione metri & ratione rhythmici. Ratione me-
tri alia sunt trimetra, tetrametra, pentametra, hexametra,
ex totidem sc. pedibus constantia: singulorum usitatissima
genera petantur ex libris metrizis *R. Mosis ben Chavif. Buxtor-
fi, Laur. Fabritii, Theod. Eberti, Job. Claji, Rob. Bellarmini, Nicol.
Petrai* aliorumve. Ratione rhythmici, vel bini quique versus
clauduntur eodem rhythmico, vel omnes versus eodem, vel
secundus & quartus eodem, ita ut in primo & tertio nulla
habeatur rhythmici ratio, vel primus ratione rhythmici re-
spondet tertio, & secundus quarto, vel disticho quoque in
quatuor membra inciso, tria priora semper habent eun-
dem rhythmum, quartum v. peculiarem respondentem
quarto membro sequentis distichi. Porro rhythmicos inve-
niendi facilem ostendit viam *Hier. Avianus* in clavi poeseos
sacrae. Arabes itidem ex pedum suorum varia dispositione
varia fecerunt carminum genera. Ea dispescunt ratione
metri in quinque classes, seu, ut ipsi loquuntur, *circulos*. Pri-
mus dicitur *Varius* & continet carmina quatuordecim syl-
labarum: Secundus *compositus*, continet carmina quindecim:
Tertius nuncupatus *similis*, carmina duodecim: Quartus
contractus, totidem sed aliter ordinatarum syllabarum:
Quintus *conveniens* complectens carmina novem, decem,
unde-

QX
71
366

undecim & duodecim syllabarum. Singuli circuli diversa continent carminum genera, quæ petantur ex Phil. Gvadagnoli *inst. Arabic. adjecta arismetrica*, M. Joh. Fabritii *appendice de poësi Arabum adjecta specimini*, Samuelis Clerici *Profodia Arabica*, cum carmine Tograi à Pokokio illustrato, edita Oxonii c. 3. seq. & aliis. Sic e.g. primi circuli tertium carmen dicitur *Expansum*, & ut duo reliqua hujus circuli carmina constat quatuordecim syllabis, sed hæc ratione dispositis: (1.)-(2.3.)-v(4.)-(5.6.)-v(7.)-(8.)-(9 10.)-v(11.)-(12. 13.)-v(14.)- Hanc $\tau\acute{\alpha}\xi\upsilon$ metricam Arabes vocibus technicis exprimunt h, m. $\text{חַמְסָה} \text{חַמְסָה} \text{חַמְסָה} \text{חַמְסָה}$ & nos juxta pedes ita ordinamus: *Chorda levis, paxillus conjunctus, chorda levis, paxillus conjunctus, chorda levis, chorda levis, paxillus conjunctus, chorda levis, paxillus conjunctus, chorda levis*. Ratione rhythmici carmina hæc tadem possunt esse monorythma, polyrythma &c. Ebræorum carmina porro ex meris constant distichis; sunt enim rythmica, & sic unus סִיחָה semper requirit alium ejusdem rythmi: Prior ergo סִיחָה dicitur פֶּתַח ostium vel janua distichi, posterior ei ratione metri & rhythmici respondens סִיחָה clausura seu conclusio distichi: Totum v. distichon vocatur בֵּית domus, quasi perfecta structura metri. Sic & Arabes quemq; versum similis desinentiæ vocant פֶּתַח januam, & utrumq; simul sumtum פֶּתַח bifores, & totum carmen בֵּית domum. Utriq; deniq; in Poësi sua multas sibi indulgent licentias: De Arabibus videatur carmen *Bader Aladini* apud Gvadagnolum p. 301. seqq. & Clericus c. 5. De Ebræis Buxtorfius *Thes. p. 633. 634. 535.* ex his omnibus videre est, alterutros ac alios, & si quid judicamus, Ebræos ab Arabibus hodiernam poësin accepisse. Nam epigraphæ illa, ex quâ R. *Moses Chavif* contrarium eliciebat, jam pridem à plurimis וּשְׁמִי est postulata & convicta. Caterùm de hodiernâ poësi Judaicâ ex professo egerunt R. Moles ben Chavif in *Darke Noam*, Buxtorfius *Tract. de Profodiâ metrica Thesauro annexa*, Rob. Bellarminus *Inst. Gr. p. 4. c. 5. quod est de Poëtica*, Nic. Petrus *Metrica Ebræorum Grammaticæ inserta*, Hieron. Arianus *Clavi Poëseos sacre*: Laut. Fabritius, Theod. Ebertus & Joh. Clajus separatim libellis.

TANTUM EST.
 טַנְתֻּם עֵשֶׂת
○○○○○○○○

1017

MC

AUG

POES

RI

Qvâ qv
ria

Impens



ERI

RUM

M

n mate-
da

Typogr.

Handwritten notes and signatures in cursive script.



Inches 1 2 3 4 5 6 7 8
Centimetres 1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 16 17 18 19 20

Kodak
LICENSED PRODUCT

© The Tiffen Company, 2000

KODAK Color Control Patches

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

